390902

CONCLUSIONES

Scholaſticæ Dogmatico-Morales

THEOLOGIÆ

Jn Seminario Stradomienſi
Presbyterorum Sæcularium
Congregationis Miſsionis
Publicis Diſceptationibus.

Diebûs Junii, Annô, 1778.

EXPOSITÆ.


V
B
J
C


Bibl. Jag.



EX TRACTATU
De Sacramento Eucharistiæ.

I. Eucharistiam verum eſse novæ legis Sacramentum contra hæreticos non nullos præſertim Socinianos modernos fide credimus. II. Jdque adæquatè consiſtere in ſpeciebus simul in corpore ac Sanguine Chriſti aſserimus. III. Jn quo non figura Calvini, sed verè, realiter & ſubstantialiter continetur corpus & ſanguis Christi. IV. Jta, ut non remaneat ſubstantia Panis & vini, ad mentem Lutheri unà cum corpore & ſanguine Christi. V. Sed tota substantia panis & vini convertatur in corpus & ſanguinem Christi. VI. Sicut pridiè mortis Christus legalem agni Paſchalis cænam fecit, ita eadem die Sacramentum Euchariſtiæ. VII. Materiamq; hujus Sacramenti panem triticeum & vinum de vite determinavit. VIII. Vino consecrando admiſcenda eſt aqua, non tamen neceſsitate Sacramenti. IX. Eamq; immedi-

atè converti in sanguinem asserimus. X. Ad conficiendam validè Eucharistiam, requiruntur & sufficiunt verba, quibûs cum Christus confecit, hæc, vel æquivalentia: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. XI. Adeoquè non requiritur invocatio contra Græcos, nec recitatio historiæ Eucharisticæ, contra Lutheranos & Calvinistas. XII. Episcopi & Sacerdotes soli sunt Eucharistiæ conficiendæ, iiq; & jure Divino distribuendæ ministri. XIII. Eucharistia non est necessaria necessitate medii. XIV. Laudabilior est frequens usus Eucharistiæ, quàm rarior. XV. Calicis usus fidelibus non sacrificantibus subtrahi potuit. XVI. Non major ex duplici specie capitur fructus, quàm ex una.

De Sacrificio.

XVII. In Missa offerri verum & propriè dictum Sacrificium contra Novatores credimus. XVIII. Quod non consistit in mera mortis Christi repræsentatione, aut in ejusdem commemoratione, quæ à reali Christi præsentia independens est. Ut Angliæ

placet

placet. XIX. Sacrificium sumptum pro actu sacrificandi adæquatè consistit in consecratione spectata præcisè, ut est positio corporis & sanguinis Christi sub speciebus vi verborum. XX. Jam verò sumptum pro re sacrificata & oblata est Christus ipse, prout existit sub speciebus panis & vini. XXI. Utriusquè speciei consecratio ad sacrificium jure Divino est necessaria. XXII. Non tamen certo ad essentiam. XXIII. Sacrificium Missæ propitiatorium & impetratorium esse contra Novatores defendimus XXIV. Soli Sacerdotes sacrificium Missæ verè & proprie offerunt. XXV. Sacrificium peccata mediatè tantum remittit, sicut & gratiam ad auget; pænas verò peccati, & satisfactiones justis immediatè. XXVI. Missæ, in quibus nemo præter Sacerdotem communicat, nullo jure redarguuntur.

ExTRACTATU
De
DEO.

I. Tam certum tamq; exploratum est Deum existere ut mirùm ad

no-

modùm sit, cur in tam miseram cordis cæcitatem dejecti sint, qui in boni temporibus *irrationabiliter* finem suum constituentes, Deum, quem ùt principium, ita & finem omnium agnoscere debuerant, dixerunt insipienter in corde suo non esse. II. Porro, si Deus unus non est, non est; inquiebat Tertulianus contra Marcionem. Et verò unum esse oportet, quem, perfectissimum, infinitum, independens, omnium primum ens esse, nemo ignorat. Jnsaniunt ergo Gentiles, quotquot in eorum deliramenta consenserunt. III. Et si longè difficiliùs sit nôsse, quid Deus sit, quàm quid non sit; eum tamen aut esse materiam, aut materiâ constantem sive humanis membrîs præditum fingere, magnam profectò insaniam dicet: quisquis eum ens simplicissimum esse oportere non ignoraverit. Quòd cùm ita sit; quomodo igitur oculìs corporeìs videri Deus poterit. IV. Qui esto non longè sit àb uno quoquè nostrum. & in ipso vivamus, moveamur & simus) etiam vi intellectûs nostri creati, nisi per lumen, ùt vocant, gloriæ ele-

vetur,

vetur, videri non potest, clarè & in-
tuitivè. Quam dotem Deus est ne im-
pertitus aliquibus in hac mortali vita
degentibus, disputatur pro utraquè
parte. V. Quòd si Deus eam denegat in
hac vita, at cùm separatæ fuerint ani-
mæ à corporibus, si nihil superfue-
rit luendum, nec ad minimum tempus
Etiam differendam esse credimus. VI.
Multos quidem habuit falsa de regno
millenario opinio Patronos, etiam ex
priorum sæculorum Patribus; Joannes
tamen XXII. immeritò accensetur
millenariis, qui quidquid in hac mate-
ria dixerit, non asserendo, sed opi-
nando protulit, nullóq; constitutô
quod protulit, stabilivit. VII. Hæc
intuitiva Dei visio est ipsamet beati-
tudo nostra, ad quam Deus Omnes
invitat, et tota die expandit manus
ad populum etiam contradicentem, ut
omnes veniant capiantq; hæreditatem,
cùm neminem velit perdere, sed ad
cognitionem veritatis venire: omnes:
& proinde nullô exceptô salvos Fieri
vult. VIII. Quæ tamen voluntas ut
pote generalis & antecedens salvandi
Omnes non efficit, ut quicumquè illâ
com-

comprehenduntur, reipsa salventur. Unde admittenda est prædestinatio, seu efficax, absolutum, certum et immutabile Dei decretum, quô fit ut Omnes et soli, qui liberantur certissimè liberentur. IX. Gratuitam esse prædestinationem quorumlibet meritorum, non modo naturalium sed et supernaturalium, Futurorum & Futuribilium, ne dubitare quidem sinunt ea, quæ S. Paulus ad Romanos cap. 9. & 8. Et Augustinus in Lib. de Præd. Sanctorum, tum lib. de Correp. et grat. loquuntur. X. Esto autem Prædestinatio ad gloriam sit ante prævisa merita, non tamen reprobatio, quæ habet causam ex parte hominis peccatum originale., Quærimus causam prædestinationis, inquit, Augustinus, et invenire non possumus; quærimus causam derelictionis, et invenimus eam, causam esse pecatum originale.






